

tenus ab eodem principiô per eadem media in eadem fide ad eundem finem omnia membra Ecclesiæ in confortium Sanctorum adoptantur. 2. SANCTITAS, tum imputata tum inchoata, utraque è gratiâ DEI oriunda. 3. CATHOLICISMUS seu universalitas, quatenus sine discrimine temporum & locorum, personarum etiam, omnes qui doctrinam in scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensam suscipiunt, ejusdem Ecclesiæ membra censi debent. 4. INDEFECTIBILITAS, quatenus vi promissionum divinarum Ecclesia universim in totô terrarum orbe usque ad consummationem seculi non deficiet.

## EXPLICATIO.

I. *Attributa.*

Intelligo *interna*, non *externa*.

II. *Quo perpetuò eam afficiunt.*

Sunt etiam quædam alia attributa, ad quæ status Ecclesiæ felix vel infelix pertinet, sunt autem non propriè attributa Ecclesiæ, quia variant.

III. *Unitas.*

N) Distinguendum inter *hypotheses* de unitate Ecclesiæ *Pontificias* & *orthodoxas*. Priores habent in ore Pontificii semper, sed

1. Habent unitatem pro *notâ Ecclesiæ* distinctivâ. Nos non pro *notâ* habemus, sed *attributo*.

2. Illi dijudicant unitatem Ecclesiæ ex unione cum capite fictitiô sive Pontifice. Nos ex unione cum capite verô Christo.

3. Illi spectant unionem *externam*. Nos ex unione internâ quatenus per vinculum fidei & charitatis omnia membra Ecclesiæ connectuntur.

4. Pontificiorum unio fit *in errore*, quem in Concilio vel Florentino vel Tridentinô contraxerunt, sed magis est conjuratio, quam unio. Nostra autem unio fit *in veritate*.

5. Pontificiorum unitas est *numero* magis, quàm *consensus*. Nos posteriorem statuimus. Unitas numeri quidem etiam de Ecclesiâ dici potest, sed non ut unum individuum consideranda illa unitas